DE

PHILOSOPHICI POEMATIS

CONDITIONE

APUD LUCRETIUM

Paris. — Imprimerie A. Lainé et J. Havard, rue des Saints-Pères, 19.

DE

PHILOSOPHICI POEMATIS

CONDITIONE

APUD LUCRETIUM

Thesim proponebat Facultati litterarum Parisiensi

H. HIGNARD

Scholæ Normalis olim alumnus, in Lyceo Lugdunensi professor.

PARISIIS

APUD AUGUSTUM DURAND, BIBLIOPOLAM

IN VIA DES GRÈS-SORBONNE, 7

M DCCC LXIV

MAGISTRO

CLARISSIMO, DOCTISSIMO, DILECTISSIMO

J. NOIROT

LUGDUNI OLIM IN LYCEO PHILOSOPHIÆ PROFESSORI

DEINDE ACADEMIÆ RECTORI

GRATI ANIMI PIGNUS.

DE

PHILOSOPHICI POEMATIS

CONDITIONE

APUD LUCRETIUM.

Quum assidua lectione Lucretii poema pervolutarem, nec propria contentus admiratione locos accuratissime excerperem pulcherrimos, quos discipulis meis in vernaculam linguam vertendos traderem et ediscendos, persæpe animum subiit quæstio cur tantum poetam, quem optime noverat nec semel imitatus est, quin et omnino philosophici carminis genus tali opere nobilitatum, in doctissima eadem atque lepidissima ad Pisones epistola, silentio Flaccus prætermiserit. Atqui videbam Aristotelem, quanquam et ipse philosophus sit, et poeticarum rerum, sicut ceterarum omnium, acutissimus indagator, adeo totum hoc poematum genus contemnère, ut in ópus-

culo *de Poetica* vix poetæ nomen Empedocli concedat (1). Unde, ni fallor, Bolæus noster, veterum studiosissimus imitator, in uberiore ac rectius ordinata poematum enumeratione, de poesi philosophica omnino tacet, ita ut non Empedoclem tantum, sed et Lucretium plane ignorare videatur.

Esse tamen aliquam philosophici poematis naturam, quanquam summi viri eam e poesis finibus velut exsulare jusserint, quis nunc neget? Quum veteres θεωρητικῶς potissimum quæstiones hujusmodi habeant, nos ἱστορικῶς, nil mirum si de multis rebus aliter atque ipsi docuerunt judicamus. Illi quid esse possit aut debeat, certis principiis inducti, quæ, ut vera sint, forte angustiora merito videantur, inquirebant, nos quid sit atque fuerit. Unde recte concluditur, ut post Homerum epicum carmen, post Æschylum Sophoclemque tragœdiam, sic et post Lucretium poema philosophicum, licet minus omnibus numeris absolutum, et esse et haberi. Ex altera autem via possumus in alteram rursus ingredi, quærere videlicet quale sit, ratione judice, hoc carminis genus, quibus legibus parere debeat, quibus virtutibus veræ poesi sese ascribat, quibus vitiis ab ea excludatur.

(1) Οὐδὲν δὲ κοινόν ἐστιν Ὁμήρῳ καὶ Ἐμπεδοκλεῖ πλὴν τὸ μέτρον· διὸ τὸν μὲν ποιητὴν δίκαιον καλεῖν, τὸν δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητήν. *Poet.* 1. In alio autem ac maxime desiderando Περὶ Ποιητῶν libro, teste Diogene, longe alia scripserat: Ὅτι καὶ ὁμηρικὸς ὁ Ἐμπεδοκλῆς, καὶ δεινὸς περὶ τὴν φράσιν γέγονε, μεταφορικός τε ὢν, καὶ τοῖς ἄλλοις περὶ ποιητικὴν ἐπιτεύγμασι χρώμενος. Diog. Laert. VIII, 57. De qua judicii inconstantia, si ambo loci vere Aristotelis sunt, alii viderint.

Quod quum a nemine hactenus satis tractatum atque enucleatum viderem, expendere pro virili parte, et, quantum vires suppeditent, explanare institui. Sed ne latius evagetur hæc mea commentatio, intra Lucretium me continebo, inquirendi ac dijudicandi amplissimam et nobilissimam materiem.

Ad quam disputationem agressurus, quum multa alia, tum id mihi imprimis desiderandum sentio, quod magistrum doctissimum atque omni humanitatis genere expolitum audire nequiverim, qui, dum de nostro poeta in hac Sorbonensi domo sæpius disserit, eum, ut non semel dictum est, quasi sui juris fecit, et quem, ut Valckenarium Ruhnkenius ὁμηρικώτατον, sic significantiore verbo omnium hominum in Lucretio versatissimum dicere et velim et æquum sit. Utinam in illo felici auditorum cœtu, ut quondam, tunc quoque sedere attentus et gratus potuerim! Hoc præcipuis provincialis vitæ incommodis adnumerem, quod nos procul a dilectissimis magistris abstrahat; nam libri emi possunt, vivam docentis vocem quis reddet absenti? Tres mihi tantum aditiales orationes consulendi copia fuit (1), in quibus quo plura discebam, eo in majus exardescebat plenioris disciplinæ desiderium. Quam quum justa officia mihi inviderent, non ideo abjiciendos codices censui, nec deplorandas vigilias; sed potius operi eo acrius insistendum; de ceteris benignitati judicis confisus, quippe qui expertus sim eos

(1) Annorum 1856, 1858, 1859.

in judicandis aliorum laboribus æquissimos esse atque indulgentissimos qui plurimum ipsi et possint et sciant.

Ac vereor ne quis miretur me de philosophico poemate specialiter ponere quæstionem, quod cum universo didascalicæ poesis genere (nostrates græco verbo *didacticam* vocant) jungendum esse videatur, cujus manifeste pars sit et de qua pendeat. Quod crimen ut ante occupem quam inferatur, ingenue fatebor multa quæ dixi, vel mox dicturus sum, non ad Lucretium tantum, sed ad ceteros omnes pertinere qui (si poetæ versum refingere liceat)

Et prodesse volunt et idonea dicere vitæ (1).

Jure tamen, ni fallor, hoc contendam, ea carmina quæ in doctrinis philosophiæ exponendis versantur, inter omnia quibus aliarum artium præcepta continentur locum obtinere separatum ac suum. Etenim quid verius ea didascalicæ poesis historia quam vir clarissimus paucis verbis delineavit? (2) Scilicet tres esse ætates, totidem hujus generis formas, quum primum præcepta sapientiæ homines doceat, ut Hesiodus,

(1) Ita Bolæus non de philosophico tantum poemate, sed et de toto didascalico genere, quanquam ex eo tantum sibi gloriæ acquireret, ne verbum quidem fecit; ita ut qui Æneida et Eclogas intelligenti laudet admiratione, de Georgicis (quibus quid pulchrius ac perfectius, quid dignius quod poetis exemplum proponatur?) omnino taceat.

(2) M. Patin. *Introduction à l'étude du Poëme de la Nature.* 1856.

Theognis, Phocylides, Solon, Pythagoras, nonnulli alii apud Græcos fecerunt, quibus respondent apud Romanos pythagorici poematis auctor Appius Cæcus, et ille de litteris latinis multiplici ex parte optime meritus Ennius, qui *Protrepticum carmen* suis operibus adscripsit (1); deinde altius insurgere audeat, et firmiore oculo quæ vera sunt, ut solem aquila, intueri, quum Xenophanes, Parmenides, Empedocles naturam rerum versibus complectantur, quos sequebatur fortasse Ennius in *Epicharmo*, certe Lucretius; tum demum ad describenda tantum ea quibus explicandis impar sit sese convertat, cum Arato cœli miracula, cum Nicandro vim remediorum, cum Eratosthene artium originem, in quibus imitandis tum ambo Varrones, tum ipse Tullius, alteram et majorem gloriam mox occupaturus, multum operæ posuerunt. Nam de Virgilio alias dicemus.

Alteram autem generis ejusdem partitionem faciebat vir superioris sæculi, cujus laudes illo tempore plus æquo celebratæ apud nostrates oblivione paulatim obsolescere et exstingui videntur, nec immerito, si quid sentiam aperte profiteri liceat (2). Qui quum didascalicam poesim eam esse diceret quæ versibus *quæ vera sint* describenda sibi proponat, tria in ea

(1) Condiderat et M. Cato *Carmen de moribus* (vid. Aul. Gell. XI, 2), cujus rarissima fragmenta, sotadeis versibus, ut opinatur, descripta, collegit atque edidit Alf. Fleckeisenius, in opusculo quod inscribitur *Catonianæ poesis reliquiæ*, Lipsiæ, 1854.

(2) L'abbé Batteux, *Principes de Littérature*, 3e partie. De la poésie didactique.

genera distinguebat : *historicorum* nempe poematum, in quibus, ut in Lucani Pharsalia, non deos, sed homines tantum agentes poeta inducat, et res ut evenerint narret, nullo ementitorum ornamentorum adjumento; dein *philosophicorum*, in quibus primum Lucretius locum obtineat; postremo *didascalicorum*, quæ regulas ac præcepta artium tradant, agriculturæ dico, ut Georgica. En qua partitione, cum primam ejus partem minime probandam existimem, id tantum colligere volo, philosophicum poema ita a ceteris didascalicis natura ipsa differre ut de eo separatim tractare tuto liceat. Quid quod, ut nuper videre fuit, tantam rerum varietatem admittit, tot diversissima argumenta tam lato ambitu didascalica poesis amplectitur? Vel poetas et operum titulos enumerare longi operis sit; quod neutiquam mihi proposui. Elegi, pro meis viribus, non modo genus inter genera, sed et inter poetas poetam unum, a quo discam (de spe conatuque ne depellar faxint dii) quatenus et quibus conditionibus philosophiæ ac poesis possit esse consortium.

I.

Non igitur apud antiquos illos commorabor sacrarum rerum interpretes, e quibus philosophiam ortam esse satis constat; nec quod Orphica carmina

Aristoteles dixerit pythagorei Cercopis esse (1), et ipsi nobilissimæ sectæ duci ac magistro versus sæpe adscripti sint, in iis tempus teram. Nec magis de Hesiodo disseram, quanquam inter philosophos a Plutarcho numeretur, multaque sapienter atque utiliter præcipiat quæ moralis pars philosophiæ nullo pacto abnuere velit. Nam quum philosophia in divinarum humanarumque rerum cognitione versetur, quidquid poeta quivis seu de deo (non fabulis, sed ratione magistra), seu de hominum natura, de fato, de moribus, de virtutibus ac vitiis, verum aut falsum in carminibus profert, id sibi ea suo jure reposcit ac vindicat suum. Cujusmodi multa videmus vel in comœdiis et tragœdiis, ut ea Enniani Telamonis quibus populus, teste Tullio (2), magno plausu assentiebatur,

> Ego deum genus esse semper dixi et dicam cœlitum,
> Sed eos non curare opinor quid agat hominum genus;

in quibus Lucretium ipsum audire te credas, nisi metri interesset discrepantia. Sed de his hactenus.

Sunt autem alii apud Græcos, ut dixi, poetæ, quos prætermittere et transire nefas sit, quippe qui artem philosophici poematis inchoaverint, seque Lucretio præbuerint imitandos, Xenophanes, et Parmenides, et Empedocles, quorum accisæ reliquiæ adhuc leguntur. Poetas dico, quos melius esset philosophos

(1) Cic. *de Nat. Deor.* I, 38. Conf. Clem. Alex. *Strom.* I, p. 397 (ed. Oxon.); Suid. in Ὀρφεύς.
(2) Cic. *de Divin.* II, 50.

dicere, nobilissimos quidem et studio dignissimos. E quibus duo primi non delectu, sed necessitate, versibus doctrinas suas enuntiaverunt, idque ideo tantum ut docerent audientes, non ut delectarent, quum nulli vel saltem pauci illis temporibus prosa oratione scriberent, ac primus Anaxagoras philosophiam pedestrem ire docuerit (1). Unde paulo iniquius sit summis viris vitio vertere si poeticos lepores apud eos requiramus. Quod ut in Xenophane plane concedam, Tullioque assentiar *minus bonos esse* judicanti (2) eos versus quos Colophonius senex fortasse non scripsit, sed, ut verbo Diogenis utar, ἐῤῥαψῴδησεν (3), ita nolim ad Parmenidem redundare duriorem existimationem, et Proclum nimii fastidii insimulem quum scribat eum prosa potius quam poetica loqui oratione (4).

Cujus ne in præstanti illo ac magnifico prooemio commorer ab aliis jam satis laudato, de eo tamen id primum velim dicere, inde fortasse in hanc mentem Lucretium inductum fuisse ut et ipse poemati suo insigne splendidumque exordium, et, si Pindarice loqui liceat, τηλαυγὲς πρόσωπον præponeret. Quin et duos ejusdem prooemii locos latinum poetam expressisse crediderim, currus nempe præclaram imaginem

(1) Diog. Laert. II, 3, 8. Clem. Alex. *Strom.* I, p. 364 (ed. Oxon.). Ita carmen de Astrologicis, teste Diogene, Thales scripserat, idem fortasse quod Suidas Περὶ Μετεώρων nominat.

(2) Cic. *Academ.* I. Liv. II, 23.

(3) Diog. Laert. IX, 2. Ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐῤῥαψῴδει τὰ ἑαυτοῦ. Sed paulo ante legitur γέγραφε δὲ καὶ ἐν ἔπεσιν.....

(4) Proclus, *in Plat. Parmen.* T. IV, p. 62. (V. Cous.)

quo per æthera ad limen Sapientiæ Parmenides fertur, cum dixit ipse :

Quandoquidem semel institui conscendere currum (1)...

(Vellem sequentes versus certius possint adscribi, nec inter hariolantium editorum conjecturas eligere opus sit) (2); et nobilissimum illud promissum Deæ audientem docentis:

Χρεὼ δέ σε πάντα πυθέσθαι......
Χρὴ δοκίμως γνῶναι διὰ παντὸς πάντα περῶντα (3),

cujus non immemorem credam Lucretium ea præstantissima de Epicuro dixisse, qui multa divinitus

Dare dicta suerit,
Atque omnem rerum naturam pandere dictis (4).

(1) Lucr. VI, 47 (Lachm.).

(2) Mss. Ventorum exirtant placentur omnia rursum,
Quæ fuerint sint placato conversa favore.

Lambinus. Vincendi spes hortata est, atque obvia cursu
Quæ fuerant, sunt placato conversa furore.

Lemaire. * Ventosum exhortas plaudens, male et omnia rursum
Quæ fuerint, sint placato conversa favore.

Lachmann. Ventosum et certant plangentia flamina rursum,
Quæ fuerint, sine, placato conversa furore.

Conf. imitationem Manilii (V, 10)

Cum semel æthereos jussus conscendere currus
Summum contigerim sua per fastigia culmen.

(3) Parmenides apud Mullachium 28, 32. (*Fragmenta philosophorum græcorum*, ed. Didot).

(4) Lucr. V, 54 (Lachm.).

Sed et alia in Parmenidis reliquiis invenio quæ Lucretius aperte, ni fallor, imitatus est; quorum mentionem quum apud neminem hactenus videam, paucis indicanti venia sit rogo. Nam quam deam in poematis exordio invocat noster, eam apud Parmenidem jam laudatam inveniebat:

Ἐν δὲ μέσῳ τούτων Δαίμων ἣ πάντα κυβερνᾷ (1),

unde ipse:

Quæ quoniam rerum naturam sola gubernas (2);

ac ne dubitemus quænam ea sit potentissima dea cavent versus sequentes:

Πάντῃ γὰρ στυγεροῖο τόκου καὶ μίξιος ἀρχὴ
πέμπουσ' ἄρσενι θῆλυ μιγῆναι, ἐναντία τ' αὖθις
ἄρσεν θηλυτέρῳ (3).

In quibus quis non agnoscat Venerem, qua sine

Non quicquam dias in luminis oras
Exoritur (4)?

Jam nihil forte in toto Lucretii poemate illo secundi libri prooemio notius ac pulchrius, ubi sapientem ostendit e bene munitis ac serenis templis suis alios homines despicientem, passimque videntem

Errare, atque viam palantes quærere vitæ (5).

(1) Parmenid. ap. Mullach. 128.
(2) Lucr. I, 21 (Lachm.).
(3) Parmenid. ap. Mullach. 129 seqq.
(4) Lucr. I, 22 (Lachm.).
(5) Lucr. II, 10.

Quem locum ex aliquot Parmenidis versibus a Simplicio servatis expressum esse plane liquet. Nempe discipulum monet Dea ut ab illa quærendi via avertatur

ἣν δὴ βροτοὶ εἰδότες οὐδὲν
πλάζονται δίκρανοι· ἀμηχανίη γὰρ ἐν αὐτῶν
στήθεσιν ἰθύνει πλαγκτὸν νόον· οἱ δὲ φορεῦνται
κωφοὶ ὁμῶς τυφλοί τε, τεθηπότες, ἄκριτα φῦλα (1).

Unde sponte oriri videtur tristissima nostri exclamatio :

O miseras hominum mentes, o pectora cæca (2)!

Quid quod et illa ipsa vitæ via quam quærentes eos ostendit, e græco versu qui mox sequitur ad verbum mutuatus est?

Πάντων δὲ παλίντροπός ἐστι κέλευθος (3).

Quibus si id tantum adjecero (ne multus in his principiis videar) in alio Parmenidis loco Lucretium et illarum rerum de quibus in media libri quinti parte tractavit velut quoddam argumentum invenisse, quum audienti Dea solis, et lunæ, et ceterorum quæ in cœlo sunt cognitionem polliceatur (4), inde neminem latebit eum, ut Empedocleis, quod jam omnibus liquebat, sic Parmenideis fontibus hortulos suos irrigavisse.

(1) Parmenid. ap. Mullach. 46 seqq.
(2) Lucr. II, 14 (Lachm.).
(3) Parmenid. ap. Mullach. 51.
(4) Parmenid. ap. Mullach. 133-143. Lucr. V, 510-777 (Lachm.).

De Empedocle vix ulla quæstio esse potest, quum Lucretius *Acragantini* poetæ carmina ipse laudaverit ut pæne divina (1), qui locus notior est quam cui insistam, ac nonnullas philosophi opiniones seu mutuetur, seu impugnet. Nolim tamen cum Eichstaedtio affirmare eum græcum exemplar « in animo et oculis habuisse, atque assidua imitatione expressisse (2) » ; nam e quadringentis versibus qui supersunt de tribus Empedocleis Περὶ Φύσεως libris, paucos admodum invenias in quibus ea pateat imitatio. Quos, ut ab aliis jam notatos (3), indicare supersedeo, quippe qui præda et manubiis alienis meam sarcinulam implere nolim.

Apud Græcos igitur (nam de Enniano Epicharmo pauciora profecto novimus quam ut certi quidquam de eo possimus judicare) (4), habebat Lucretius philosophici poematis exemplaria, non perfecti et absoluti, sed inchoati saltem, ac primis lineamentis, ut ita dicam, adumbrati. Nam quum docuissent Xenophanes Parmenidesque *de Natura rerum* (qui ambobus carminibus titulus præscribebatur), versibus copiose scribi posse, id Empedocli proprium erat et peculiare quod non necessitate, sed voluntate ac

(1) Lucret. I, 732 (Lachm.).

(2) Eichstaedtius, apud Lemaire. T. I, p. 38.

(3) Vide Mullachii in Empedoclem notulas, Wakefieldi, Eichstaedtii, Forbigeri in Lucretium. — M. Patin, *Introduction à l'étude du Poëme de la Nature.* — Aem. Hallier, *Lucreti carmina e fragmentis Empedocleis adumbrata* (Ienæ, 1857).

(4) Vide Vahlen, *Ennianæ poesis reliquiæ.* VIII (Lipsiæ, 1854).

judicio suam philosophiam poeticis leporibus ornare instituerat, aut potius præclara reperta grandiloquâ Musæ voce apud homines commendare. Qui rectene an perperam judicaverit, imitatoremque suum in bonam an in malam viam secum traxerit, mox videbimus. Habebat autem noster in veteribus illis poetis multa quoque feliciter ab eis inventa quæ feliciter imitaretur, amplam sententiarum atque imaginum silvam quibus in agrum suum comportatis ditesceret. Quibus fretus exemplis et egregia proprii ingenii indole, ad quod fastigium philosophicum poema evexerit, nunc quærendum, et ad verum hujus opusculi propositum aggrediendum. Qua de re sic commodissime tractaturus mihi videor, si primum de argumento ac materie carminis disseruero, post de forma ac dispositione operis, postremo de dicendi genere; qua partitione ars tota poematis cujuslibet, ut orationis, continetur. Unde fore spero ut manifesto appareat quibus virtutibus efficere possit carmine philosophus illud, quidquid est, quod carmine effici oportet, quibus autem vitiis aut erroribus amittat; et quibus legibus ac conditionibus observandis non opus tantum philosophicum, versibus invita Minerva descriptum, quo nihil inutilius ac putidius esse possit, sed et vere poeticum efficiatur.

II.

Non me fugit eam disputationem instituenti continuo objici opinionem apud veteres ac recentiores plus æquo celebratam, quæ si vera sit, tota ex fabulis constet poesis; unde jure colligitur philosophiam, quæ verum quærit, ab ea prorsus abhorrere. Cujus opinionis, quum altius repetere nequaquam potuerim, e Platone atque Aristotele originem duci arbitror; non tamen puto summos illos viros angustiore atque arctiore sensu, quæ de ea re dixerunt, interpretatos esse, neque ad vivum resecuisse, ut illi qui eadem post eos subtilius disseruerunt, doctrinam magistrorum, ut fit, dum in majus augent atque exaggerant, in deterius corrumpentes. Sed tamen et apud Platonem in nobilissimo illo dialogo qui Phædo inscribitur, audimus Socratem poesim negantem ullam illic esse ubi fabulæ non sint (1); et Aristoteles in primo Poeticæ versu nuntiat se « quomodo fabulas poeta componere debeat » disputaturum (2), quasi id tantum poetæ munus, ea sola provincia sit; quamobrem forsan paucis post versibus Empedoclem non poetis, sed physicis adnumerat (3).

(1) Ἐννοήσας ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι, εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους. Plat. *Phædo*, p. 61, B. Conf. Plutarch. *De audiendis poetis*, 6.

(2) Καὶ πῶς δεῖ συνίστασθαι τοὺς μύθους. Aristot. *Poet.* 1.

(3) De quo judicio notulam nostram supra videas precor.

Quam quidem sententiam paulo duriorem atque acerbiorem in oculis habuisse Plutarchus mihi videtur in libro quo de vario poematum usu disserit et quomodo juveni ea sint audienda docet; nempe qui postquam absolute dixerit « nullam se novisse poesim nisi cum fictis et commentitiis fabulis, » Empedoclem cum Parmenide, et Nicandro, et Theognide, jungat, quorum commentationes « a poesi gravitatem quamdam et astrictiores numeros mutuatæ sunt, velut rhedam aut vehiculum, ne pedestres incedant (1). » Inde probabile est eam doctrinam ad nostros homines perfluxisse, qui eam adstrictius acceperunt, nedum molliori interpretatione paulum, ut æquum erat, inflecterent; ac ne sine erroribus quidem, nam et apud clarissimum virum et doctissimum Henricum Stephanum video Aristotelem de fabulis dixisse « eas esse poeseωs (sic scribebat vir diligentissimus) animam » (2), quod apud Stagiritam frustra quæro. Hoc tantum in Poetica invenio, principium esse *tragœdiæ* et velut animam τὸν μῦθον (3), scilicet, ut ipse philosophus antecedentibus ac sequentibus verbis sententiam aperit, argumentum seu rem ad actum

(1) Forsan lectores juvabit ipsa græca habere : Οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον οὐδὲ ἀψευδῆ ποίησιν. Τὰ δ' Ἐμπεδοκλέους ἔπη καὶ Παρμενίδου, καὶ Θηριακὰ Νικάνδρου, καὶ Γνωμολογίαι Θεόγνιδος, λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ τῆς ποιητικῆς, ὥσπερ ὄχημα, τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν. Plutarch. *De Audiendis poetis*, 2.

(2) Henricus Stephanus. *Parodiæ morales* (1575), præfationis pagina secunda, quæ numero, ut tunc moris fuit, caret.

(3) Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας, δεύτερον δὲ τὰ ἤθη. Aristot. *Poet.* 6.

scenarum compositam, quam et Latini eodem verbo fabulam nuncupabant. Ergo ad totam poesim quod de tragœdia tantum dictum erat convertit Stephanus, et verbum μῦθος alio plane sensu intellexit ac voluerat Aristoteles. Quod fortasse operæ pretium fuit coarguere; ita rarum atque inexspectatum apud virum tantæ doctrinæ tantique judicii, ut facile credam illum aut male, aut potius alienis oculis hunc Poeticæ locum legisse.

Erat enim in manibus, ut opinor, Itali cujusdam hominis de Aristotelis Poetica explanatorius liber (1), qui id temporis plurimum fama valebat, et a pluribus, ut sæpius fit, quam ipse Stagiritæ libellus, legebatur; dignum sane hominem cui popularium suorum de traductoribus ac traditoribus proverbium inuratur! Quem manifesto patet illi genti illisque temporibus scripsisse quæ unice delectabat Ariostus, lepidissimus sane atque elegantissimus poeta, sed quem Lucretio posthabere per neminem non licebit. Nec quisquam me nimiæ severitatis arguet, si hoc tantum dixero de ipsa poesi quid sentiat ille Aristotelis explanator : eam nempe « ad id tantum esse inventam, ut rudem atque ignaram multitudinem recreet ac delectet » (2). Et porro pulchris illis prin-

(1) Poetica d'Aristotele vulgarizzata e sposta per Ludovico Castelvetro. Viennæ, 1570. Basileæ, 1576.

(2) « Ma oltre a questo la materia delle scienzie e delle arti.... non può essere soggetto della poesia, conciosia cosa che la poesia sia stata trovata solamente per dilettare e per ricreare, io dico per dilettare e per ricreare gli animi della rozza multitudine e del commune popolo. » Castelvetro, p. 29 (ed. Basil.).

cipiis inductus, eo venit ut non modo Lucretio, Hesiodo, Lucano, sed et Virgilio (proh scelus!) quod ad Georgica attinet, poetæ nomen denegare audeat (1)! Quem ne dubitem quin Henricus Stephanus legerit ac nimia credulitate quæ in eo inveniret acceperit, monent multa quæ de Aristotelis sententia disserit, eodem errore corrupta, et iisdem verbis quibus usus est noster descripta (2).

Ac vide quantum se disseminet mala errorum propago si semel emiseris, quam late serpat, quam facile vel optima atque excellentissima ingenia occupet. Nempe cum profiteri audeam neminem esse qui Bolæum nostrum majori, quam qua egomet, admiratione et cultu prosequatur, ea tamen est critices natura atque indoles ut neglecta auctoritate res ipsas expendat, ac quæ viderit enuntiet. In quo non satis admirari possum quod, ut jam dixi, divinis illis Virgilii Georgicis nullum in Arte sua locum fecerit. Quod nequaquam intelligerem nisi pro certo haberem apud tantum virum falsam eam, quam nunc impugnamus, opinionem plus æquo valuisse. Quanquam ipse in alio opere non multo post præstantissima ea atque clarissima velut oracula edidit, scilicet « nihil esse pulchrum aut jucundum quod non et verum sit, »

(1) « Non debbano essere stimati haver fatto bene, e perdano la gloria e'l nome di poeta, havendo fallato in eleggere il soggetto. .... Non sono ricevuti nel numero de' poeti. » P. 28, 29.

(2) « Fa (Aristotele) in questa propositione spetial memoria della favola tra tutte le parti di qualità di poesia..... perchè entra in tutte le poesie, le quali senza lei non possono havere l'essere, ed è la principale, e come *anima della poesia.* » P. 9.

et « ad id tantum in carminibus ficta afferri ut quæ vera sint manifestius et splendidius animis eluceant (1). »

Quæ vellem melius meminisset vir exquisiti ingenii, nec patria tantum laude clarus, Ludovicus Racinius, qui quum seu Gratiam (divinam scilicet, qua homines ad bonum impelluntur, de qua tunc temporis inter theologos summa erat contentio), seu Religionem ipsam carminibus defendere instituisset, timidissimis excusationibus propositum tueri opus esse censuit (2). Unde tamen, ut opinor, ad ea excogitanda ductus est quæ de verbis, non rebus, fingendis docuit (3); non contemnenda quidem, sed verbo potius nova quam re, et doctrinæ paulo subtilioris. Quanto melius pro suo jure contendisset adeo non poesi repugnare magnas eas res quas aut religio aut philosophia ad contemplationem nostram proponit, ut contra vera ea ac præstantissima poesis sit quæ animos nostros ad maxima evehat, et e terrenis ad divina conferat!

(1) Rien n'est beau que le vrai, le vrai seul est aimable;
Il doit régner partout, et même dans la fable;
De toute fiction l'adroite fausseté
Ne tend qu'à faire aux yeux briller la vérité.
Épître à Seignelay (1675).

(2) J'avoue qu'en renonçant aux beautés brillantes de la fiction, il faut peut-être renoncer aussi au titre de poëte pour se contenter du rang de versificateur. (Préface du poëme de la Religion.)

(3) Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres; *anc. série*. T. VI et XII.

Quod non ratione tantum, sed et exemplo potuisset evincere, si erga Lucretium paulo æquior fuisset, nec poetam cum Epicuri discipulo, causam communicando, simul condemnavisset. Quis enim non miretur eam judicii severitatem, vel potius injuriam? Nempe quum in Lucretio Cicerones ambo « multa lumina ingenii, multam tamen artem » esse concessissent (1), quum eumdem Quintilianus « elegantem in sua materia » pronuntiavisset (2), quum tot veteres, quorum testimonia præsto sunt, nobilissimum carmen certatim laudavissent, in eo vir noster vix duos aut tres locos agnoscit dignos qui poetæ assignentur (3). Quod si re, non religionis calumnia, judicasset, si attentiore ac liberiore mente eas pervolutavisset paginas ubi, ut et multa falsa, ita plura et verissima et pulcherrima sunt, vix dubito quin admiratione captus et abreptus causam injusto præjudicio liberavisset, et magnum, imo maximum salutavisset poetam, quanquam, vitio temporis ac nimia erga magistrum Epicurum docilitate, tantis in erroribus versatus sit.

(1) « Lucretii poemata, *ut scribis*, ita sunt, etc. » M. Tullii ad Quintum fratrem ep. II, XI. Ubi doctissimi viri J. V. Le Clerc notulam vide.

(2) Institut. orat. X, 1.

(3) Mémoires de l'Académie des inscriptions et belles-lettres, 1re série, T. XII, p. 132.

III.

Sed timeo ne videar æquo longius in refutandis aliorum opinionibus, quod tamen necessarium fuit, tardare ac commorari, quanquam sæpe jam inter disceptandum quid ipse sentiam declaravi. Neque hic quisquam, precor, a me postulet ut de poesi, quænam sit, in universum quæram ac definiam, cum istiusmodi definitiones, quæ ex secretioribus philosophiæ partibus eruuntur, parum lucis iis rebus afferre soleant de quibus sensu atque affectu potissimum judicatur (1). Hoc unum dicam, poetico illo sensu qui sui tantum generis est, neque cum ullis aliis confundi potest, me, dum Lucretium lego, continuo permoveri; neque modo cum ab argumento degreditur, ut multi voluerunt; sed in omni poematis tenore (si paucos locos excipiamus de quibus mox videbimus), *incessu poetam patere.*

Longum igitur esset ac prorsus inutile de singulis carminis partibus singillatim disserere, ostendere quid in quibus pulchri, magni, vere poetici notemus, cum multa magnifica ac sublimia in memoria litteratorum hominum vivant, et a multis quotidie ita laudentur, ut qui ea celebrare instituerit, rem actam

(1) Vide desideratissimi viri Adolphi Garnier elegantissimam commentationem *Quid Poesis?* 1841.

agere jure videatur (1). In quibus quum id unum quæram (ne a proposito declinem), quibus conditionibus philosophia justam materiem poesi possit præbere, licet et quæ adeo poetica dixerit de hominum miseria, de felicitate sapientis, de amoris periculis atque angoribus, de humanæ societatis origine, de artium inventione, ea philosophus pro jure suo sibi possit vindicare, ad alia potissimum me conferam, quæ scholam magis redolere et a poeticis ornamentis magis aliena esse merito dixeris. Quæ si *musæo melle*, ut ipse dixit noster, *contingere* potuerit, jam confitendum erit non argumentum, sed ingenium, et mentem diviniorem, et inflammationem animorum, et (ut Tulliano verbo utar) quemdam afflatum quasi furoris poetas facere.

Etenim in omni Epicuri philosophia quid obscurius, quid subtilius ea de atomis doctrina quam a Democrito acceptam Lucretio tradidit? Quam hic tamen in secundo poematis libro persæpe adeo vividis ac claris coloribus depingit, tam poetica luce illuminat, ut in ea nullo pacto hanc pulchritudinem desideremus quam constat propriam poesis esse laudem. Namque quum fidelissime ac diligentissime magistri commenta exponat, iis tamen similitudines, descriptiones, ἐπεισόδια (quæ dicunt) intermiscet, quibus ornata atque illustrata pæne omnem tristioris disciplinæ jejunitatem ac siccitatem exuant.

(1) De quibus inter recentissimos imprimis digni qui legantur C. Martha (*Revue des Deux Mondes*, mars 1862), et Prévost-Paradol (*Nouveaux essais de politique et de littérature*, p. 172).

Quod si probare velim exemplis, multa jam præsto sunt. Postquam enim paucis dixit omnia in natura mutari atque fluere, rerum tamen summam manere, inde consequentia jungens principiis ad id nos ducit elementorum spectaculum quæ

Unde abeunt minuunt, quo venere augmine donant,
Illa senescere, at hæc contra florescere cogunt,
Nec remorantur ibi; sic rerum summa novatur
Semper, et inter se mortales mutua vivunt,
Augescunt aliæ gentes, aliæ minuuntur,
Inque brevi spatio mutantur secla animantum,
Et quasi cursores vitaï lampada tradunt (1).

Quibus versibus quid majus, quid sublimius invenias? Qua contemplatione ad altiora mens humana possit evolare? Nonne sic deus ipse, operi suo intentus, e siderea sede omnia viventia, dum in temporis stadio currunt ac brevem vitam alia aliis tradunt, æternitatis suæ securus adspectat?

Inde ad atomos redit, eisque docet res eo duriores ac densiores aut rursus molliores ac rariores constitui quo arctius laxiusve conjungantur; alias autem esse quæ liberæ semper vagentur. Quam aridam materiem quo artificio lætiorem faciet? Ingeniosissimam nempe adhibet minutorum corpusculorum imaginem quæ in solis radiis videmus:

Contemplator enim, quum solis lumina cumque
Inserti fundunt radii per opaca domorum;
Multa minuta modis multis per inane videbis
Corpora misceri, radiorum lumine in ipso,

(1) Lucret. II, 73-79 (Lachm.).

Et, velut æterno certamine prœlia, pugnas
Edere (1).

Qua similitudine, ut valde delectatur legentis animus, ita rebus ipsis nova lux additur. Mox, ut atomos rapidissime moveri mente concipiamus, ostendit quam subito sol oriens luce et calore totum aera compleat,

Primum aurora novo cum spargit lumine terras,
Et variæ volucres nemora avia pervolitantes
Aera per tenerum liquidis loca vocibus opplent (2).

Sequitur locus de quo alias mentionem faciemus, quo nos docet atomos deorsum vi sua tendere, paululum autem inter se declinare. Sed quam cito nobis poeta redditur ! Nam quum dixerit nihil mirandum esse si, atomis perenni et assiduo motu per inane abreptis, tamen summa rerum nobis immobilis esse videatur, duobus exemplis rem illustrat, quibus nescio an ulla apud quemlibet alium poetam præclarior imago possit inveniri :

Nam sæpe in colli tondentes pabula læta
Lanigeræ reptant pecudes, quo quamque vocantes
Invitant herbæ gemmantes rore recenti,
Et satiati agni ludunt, blandeque coruscant ;
Omnia quæ nobis longe confusa videntur,
Et velut in viridi candor consistere colli.
Præterea magnæ legiones cum loca cursu
Camporum complent, belli simulacra cientes,
Fulgor ibi ad cœlum se tollit, totaque circum
Ære renidescit tellus, subterque virum vi

(1) Lucret. II, 114 seqq. (Lachm.).
(2) Lucret., II 144 seqq. (Lachm.).

Excitur pedibus sonitus, clamoreque montes
Icti rejectant voces ad sidera mundi:
Et circumvolitant equites, mediosque repente
Tramittunt valido quatientes impete campos:
Et tamen est quidam locus altis montibus, unde
Stare videtur, et in campis consistere fulgur (1).

Qui versus quanta delectatione, quanta admiratione Romanos homines, patrio studio rei agrariæ simul ac militari deditissimos, movere debuerunt! Quin et omnes homines semper movebunt, tum veritate imaginis, tum pulchra rerum effigie, tum carminis suavitate et poetico illo sensu, de quo jam diximus, qui melius animo percipitur quam circumscribitur definitione.

Nonne autem vel pulchriora merito dixeris quæ sequuntur, quum variis atomos figuris esse docens, ut viventia, qua varietate fetus animalium matrem agnoscunt, addit celebratissimam illam vaccæ vitulum amissum requirentis descriptionem (2)? Quam, ne videar Lucretii scrinia compilare, ipsumque poetæ carmen, non propriam edere commentationem, hic transcribere supersedeo. *Quanquam o!* Sed omnem librum tenuitati voluminis hujus inserere oporteret, quippe in quo nulla pæne pagina sit quæ non notandis atque admirandis verborum ac sententiarum luminibus scateat. Mox enim invenimus præclarum naufragorum similitudinem (3); et præcla-

(1) Lucret. II, 317-332 (Lachm.).
(2) Lucret. II, 352-366 (Lachm.).
(3) Lucret. II, 552-559 (Lachm.).

riorem translationem qua rerum ortum interitumque ut bellum mortis et vitæ depingit, in quo

> Miscetur funere vagor
> Quem pueri tollunt visentes luminis oras;
> Nec nox una diem, neque noctem aurora secuta est
> Quæ non audierit mistos vagitibus ægris
> Ploratus, mortis comites et funeris atri (1).

Paulo post apparet nobilis Terræ matris effigies; describuntur Cybeles insignia et cultus, deæque simulacrum per urbes solemni pompa incedens, dum

> Ære atque argento sternunt iter omne viarum,
> Largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum
> Floribus, umbrantes matrem comitumque choreas (2).

Quid multa? Jam satis superque, ni fallor, patet quod dixi, in hac poematis parte, aridiore scilicet ac tristioris argumenti, id quod promiserit poetam præstitisse; et inter poesim ac philosophiam adeo non, ut ii affirmabant quos refellimus, perpetuum dissidium ac quasi naturale quoddam odium esse, ut contra ad propositum finem assequendum, scilicet ad docendos simul ac delectandos homines, alterius

> Altera poscat opem res et conspiret amice.

Quis enim non sentit quantam vim habeat poesis ut omnia quæ pronuntiat in animos audientium aut

(1) Lucret. II, 576 seqq. (Lachm.).
(2) Lucret., II, 11, 640-643 (Lachm.).

legentium cogat descendere? Quod optime viderat nobilissimus idem philosophus ac poeta, stoicus Cleanthes, cujus celeberrimus in Jovem hymnus etiam nunc summa cum admiratione legitur, aliosque versus Seneca laudavit ac transtulit (1). Quippe qui, teste eodem Seneca, non exemplum tantum enuntiandæ carminibus philosophiæ, sed et rationem ac causas protulerit. Solebat enim dicere sensus nostros clariores arcta carminis necessitate effici « quemadmodum spiritus clariores sonos reddit, quum illum tuba per longi canalis angustias tractum patentiore novissime exitu effudit (2) ». Cui merito assentit Seneca; assentient, opinor, quicumque Lucretium legerint (3).

IV.

Hic tamen multos audio, e quibus nonnulli in primis digni sunt qui audiantur (4), de ea re dividi

(1) Senec., *Epist. ad Lucil.*, 107.

(2) Senect,, *Epist. ad Lucil.*, 108.

(3) Ipse Plutarchus quem nuper erga Empedoclem Parmenidemque adeo durum, imo iniquum vidimus, fatetur alio in loco poesim philosophiæ non esse inutilem : Ὥσπερ γὰρ ὁ μανδραγόρας ταῖς ἀμπέλοις παραφυόμενος, καὶ διαδιδοὺς τὴν δύναμιν εἰς τὸν οἶνον, μαλακωτέραν ποιεῖ τὴν καταφορὰν τοῖς πίνουσιν· οὕτω τοὺς λόγους ἡ ποίησις ἐκ φιλοσοφίας ἀναλαμβάνουσα μιγνυμένους πρὸς τὸ μυθῶδες, ἐλαφρὰν καὶ προσφιλῆ παρέχει τοῖς νέοις τὴν μάθησιν. *De audiendis poetis*, 1.

(4) M. de Fontanes, M. Villemain.

sententiam jubentes; non eamdem enim esse conditionem, quod ad poesim attineat, epicureæ ac stoicæ doctrinæ; quarum prior, cum omnia ad materiem reducat, et nobilissimos animi sensus voluptate corrumpat, nil magni aut pulchri poetæ canendum suppeditet; altera vero multo præstet pulchritudine, ad quam si se convertisset Lucretius, majus quoddam ac præstantius opus fortasse condidisset (1). Quam opinionem, quantumvis apud me valeat doctorum virorum auctoritas, nolim ad vivum resecare; quum Lucretii poema legenti persæpe animum subeat cogitatio, poetam nostrum in morali philosophiæ parte cum stoicis non semel consentire. Quid enim aliud, si Porticus, non epicureorum hortulorum discipulus fuisset, de felicitate sapientis, de vitandis cupiditatibus, de contemptu divitiarum potuisset dicere? Stoicusne an Epicureus nobilissima hæc verba verissimaque pronuntiat,

Quod si quis vera vitam ratione gubernet,
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce
Æquo animo, neque enim est unquam penuria parvi (2)?

Quum in Tullii Παραδόξοις (quibus quid magis proprium stoicorum?) legamus: « O dii immortales! non intelligunt homines quam magnum vectigal sit parcimonia!..... Uter igitur est ditior, cui deest, an cui superat?..... Non esse cupidum pecunia est.....

(1) M. Ferraz, *De stoica disciplina apud poetas romanos*, ch. VII.

(2) Lucret., V, 1117 (Lachm.).

contentum suis rebus esse maximæ sunt certissimæque divitiæ (1) ».

Quid de mortis contemptu? Num majus aliquid ac verius invenerunt stoici illa Naturæ prosopopœia qua homini vitæ nimium cupido necessitatem moriendi denuntiat?

> Cedit enim, rerum novitate extrusa, vetustas
> Semper, et ex aliis aliud reparare necesse est :
> Materies opus est ut crescant postera secla (2).

Velim equidem morientem aliis verbis solatus sit; ei ante oculos alteram subjecerit vitam, deumque bonorum malorumque nostrorum observatorem ac custodem, qui jam præmia piis præparat, filiosque ad se reduces, ut pater, amplexu excipiet. Sed de his, ni fallor, non minus tacebant stoici, vel saltem tacere debuissent, quippe qui naturam animæ igneam declarando, corpoream esse profiterentur, eoque tantum modo æternam ut ceteræ omnes sunt materiei partes; deumque suum nihil aliud esse quam mundum ipsum, duris fati legibus illigatum, sapienti vix parem, nedum ejus judex esse possit (3).

Quid quod Epicureus iste, quanquam in magistri verba plus æquo jurare adstrictus est, persæpe vi quadam veritatis, ut ita dicam, devictus, acceptam

(1) Cicer., *Paradoxa*, VI, 3.

(2) Lucret., III, 964 (Lachm.).

(3) De quibus vide exquisitissimæ doctrinæ commentationem cui titulus inscribitur : *Mémoire sur le stoïcisme*, par M. Félix Ravaisson, *Mémoires de l'Institut*, *Académie des inscriptions et belles-lettres*, nouvelle série, t. XXI, 1857.

doctrinam deserere videtur, et velut inscius in aliena castra transire? Non loquor de diis quibus in carmine suo locum facit, de Venere, de Calliope, quas invocat, de Musis, quarum suavi amore se captum dicit, de Zephyro, veris prænuntio, de Flora quæ

> Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet (1);

cum manifestum sit eas tantum figuras esse quibus, poetarum more, utitur noster, leporis ac delectationis causa, ne suum carmen illo fabularum decore omnino carere patiatur. Sed si ad seria magis et graviora nos convertimus, ea natura *creatrix*, et *gubernans* (2), de qua tam sæpe prædicat, quid est aliud quam deus ipse stoicorum? Qua alia re ab eo distat, nisi nomine? Etenim qui divinam providentiam, ut philosophus, e mundo pellebat, nonne, ut poeta, jam reducit, quum ostendit terram *matrem* res omnes ordine ac velut consilio edentem; primo genus herbarum, florum, arborum,

> Ut pluma atque pili primum setæque creantur
> Quadrupedum in membris et corpore pennipotentum (3);

mox varias volucres, et alia animantia quibus, ut matrem decebat, cibum sponte præbuit (4)?

Unde optime, ut opinor, noster Poliniacus qui multa arte, multo labore Lucretium imitatus est ut

(1) Lucret., V, 740 (Lachm.).
(2) Lucret., I, 630; II, 1116; V, 78, 1360 (Lachm.).
(3) Lucret., V, 788 (Lachm.).
(4) Lucret., V, 816. Conf. II, 996 (Lachm.).

ejus errores refutaret (utinam id gallice, et iis versibus quos omnes legere et possint et velint), eam naturam intelligentem et bonam et potentem vero nomine, scilicet Deum, appellat. Quem locum ut apud nostrates minus notum, dignissimum autem qui legatur, hic afferre mihi liceat precor :

Credin' miracula tanta
Moliri naturam ? huic par erit illa labori ?
Sed natura quid est ? aut illo nomine primam
Rerum cunctarum causam, numenque supremum
Singula prospiciens intelligis, et Deus hic est ;
Aut sic appellas natam servire patique
Materiem, certis parentem legibus, orbam
Mente et consilio, vi bruta atque impete pulsam (1).

Quin etiam omissa ea voluptatis cura quam Epicurus ut primam vitæ regulam præcipiebat, toto animo in humanarum miseriarum contemplatione defixus hæret. Non suam, sed omnium hominum conditionem lamentatur, quos primus *mortales ægros* appellavit, ita ut tanti infortunii cogitatio, exitialis veneni instar, omnes vitæ delicias corrumpere videatur. Qua gravitate verborum hanc tristitiam depingit qua vel felicissimus amor *in ipsis floribus angitur* (2) ! Nec mirum si mæstissima illa meditatione defatigatus *leti securam quietem* (3) quæsierit, ut tot stoici *viri boni et sapientes ;* nam iis, ut ait Flaccus « Mors ultima linea rerum est (4). »

(1) Anti-Lucr., IX, 29.
(2) Lucret., IV, 1134 (Lachm.).
(3) Lucret., III, 211, 939 (Lachm.).
(4) Horat., *Ep.*, II, 16, extr.

Unde mihi Lucretium legenti persæpe animum subiit cogitatio duo fuisse, ut ita dicam, Epicureorum genera, duas formas. Eorum alteri, quum nihil præter hanc vitam exspectarent, ea saltem utendum ac fruendum esse colligebant. Ii nempe « in rosa potabant », ut ille L. Thorius Balbus de quo tam luculente Tullius disserit (1); cupidi voluptatis, et cujusvis generis ejus intelligentes, ad id tantum moriendi necessitatem recordabantur quo properantius delicias undique haurirent,

Dum res, et ætas, et sororum
Fila trium paterentur atra.

De reliquo tranquillitatem animi et, quam nuncupabant, ἀταραξίαν summopere quærebant. Alteri autem ex iisdem principiis egressi, diverso itinere ad finem plane contrarium deveniebant; quibus terra quasi regio deserta atque infesta, malis atque ærumnis scatens, in quam homo fato crudeli demissus,

ut sævis projectus ab undis Navita,

cum invictis rerum viribus, debilis atque inermis, mala fortuna componitur, neque ullos aut flores aut fructus carpit, quin *amari aliquid* immixtum inveniat. De vita igitur bene ac beate constituenda cum desperarent, vanas et corruptas voluptates respuebant, mæstique felicitatem deplorabant, cujus spem et cupidinem cum natura humano pectori inseverit, ipsa fallit ac velut irridet. Quam despera-

(1) Cicer., *De Finibus*, II, 20.

tionem vividissimis et gravissimis omnium versibus Lucretius multis in locis expressit, ita ut nesciam quæ majora, pulchriora, ad movendos, concitandos, perturbandos animos aptiora, si fuisset stoicus, invenire potuisset. De qua re vellem æquius judicasset Poliniacus ille quem nuper laudavi, nec voluptates poetæ nostro, ut cuilibet « Epicuri de grege porco », exprobravisset, quas adeo non quærit atque admiratur, ut contra quam inanes sint, quam turpes, quam funestæ,

Planius ac melius Chrysippo et Crantore dicat.

V.

Fateor tamen id Lucretio impedimento ac detrimento fuisse quod magistri vestigiis, ubi poetam non decebat, fidelius institerit. Quod jam pridem, dum in Diogene ad Herodotum epistolam legerem, suspicatus, nuper manifestum vidi, quum pretiosissimas illas antiquitatis reliquias, Herculanenses dico libros, ex urbis sepultæ ruderibus post mille septingentos annos solerti doctorum hominum diligentia in lucem opinione felicius editos, quanquam, heu! tot lacunis discerptos ac laceros, pervolutare potui. Cum illa vero quæ in Diogene sunt omnibus notiora esse videantur, de his potissimum loquar quæ nobis e Philodemi bibliotheca conservata sunt; iis enim

solis colligere licuit quid fuerit illud celebratissimum Epicuri Περὶ Φύσεως opus, triginta septem libris descriptum (1), qui totam naturæ speculationem continebant. Nempe inter illa minoris momenti opuscula quibus Demetrii, Philodemi, Polystrati, Metrodori nomina inscribuntur, tres papyros invenerunt Neapolitani academici, in quibus multo nobilius Epicuri nomen et notus e Diogene titulus legebantur : quorum quasdam partes quum evolvere potuerint, in sua volumina inseruerunt. Utinam alia reperiant doctissimi viri quibus magis ignis pepercerit! Sed tamen jam habemus certas trium librorum reliquias, secundi scilicet atque undecimi in secundo Neapolitanorum volumine, alius autem incerti in decimo (2), ubi de εἰδώλοις seu simulacris, de terra, sole aliisque meteoris, de atomis denique nonnulla legimus quæ doctrinam in epistolis ad Herodotum, ad Pythoclem, ad Menœceum enuntiatam seu complent, seu confirmant. In quibus mirum est quam multa inveniamus quæ fideliter Lucretius expressit. Jam neminem latere potest poetam, dum scriberet, græcum exemplar ante oculos habuisse, ita ut non doctrinam tantum, ut discipulus, sed et verba verbis persæpe, fidus interpres, reddere conaretur. Unde fit ut singulis fere paginis Epicuri editor Rosinius, V. C., Lucretii locos afferat, quibus obscura illustret, vitiata corrigat, amissa suppleat.

(1) Diogen. Laert., X, 17.

(2) Herculanensium voluminum quæ supersunt, t. II, Neapoli, 1809; t. X, Neapoli, 1850.

Quos locos longum sit ac supervacaneum enumerare, quippe quos in ipsis libris quærere facile quivis possit (1). Id autem in universum affirmo tunc Lucretium a Musis desertum ac destitutum fuisse quum Epicurum pedetentim sequeretur, nedum, ut poetam decuit, ex his disputationum angustiis forti penna evolaret. Tunc obscura multa invenimus; nec mirum, quum obscurissimam doctrinam enuntiet; et humilia ac sordida, quum res subtiles, imo absurdas exprimere conetur, quas vix prosa oratio complecti possit, nedum poesis. Miramur tamen conatum; nam cum de celeritate simulacrorum sic inciperet Epicurus : Περὶ δὲ τῆς κατὰ τὴν φορὰν ὑπαρχούσης ταχύτητος νῦν λέγειν ἐπιχειρήσομεν (2), ea poetice reddere Lucretius tentat :

Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
Et quæ mobilitas ollis tranantibus auras
Reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
Suavidicis potiusquam multis versibus edam;
Parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
Clamor in ætheriis dispersus nubibus austri (3).

In quibus aliquid cycni esse haud negaverim, illam nempe vocem *tranantibus auras*, quam alius cycnus, Mantuanus scilicet, non dedignatus est (4); sed

(1) Altera atque expeditior editio prodiit in lucem, curante Conrado Orellio, sub hoc titulo : Epicuri fragmenta librorum II et XI de Natura, in voluminibus papyraceis ex Herculano erutis reperta, Lipsiæ, 1818.

(2) Epicuri Περὶ Φύσεως, lib. II, col. 1.

(3) Lucret., IV, 176. Conf. IV, 909 (Lachm.).

(4) Virg., *Æn.*, IV, 245 : turbida tranat Nubila.

(tanti poetæ pace dixerim) quam sæpe in sequentibus gruem audimus!

Mox enim docet Epicurus κοῦφα εἶναι τὰ εἴδωλα, εἰ δὲ ὑπερβαλλόντως κοῦφα, δῆλον, ὡς καὶ ὑπερβαλλόντως ταχεῖα κατὰ τὴν φοράν (1). Sequitur Lucretius :

> Principio persæpe levis res atque minutis
> Corporibus factas celeris licet esse videre.
> . . . .
> Qua propter simulacra pari ratione necesse est
> Immemorabile per spatium transcurrere posse
> Temporis in puncto (2).

Quæ res, qui versus magis a poesi abhorreant? Ac multo plura ejusdem generis afferre possim nisi jam me deterreret satietas et fastidium. Unum addam quo manifestius deprehendamus Lucretium tum dociliorem magistri discipulum fuisse, tum non satis versavisse quid admittat, quid respuat poesis. Nempe in notissimo sexti libri loco his verbis pestilentiam omnem ex aeris inclementia oriri docet, unde ad celeberrimam narrationem quam a Thucydide mutuatur accedat :

> Proinde ubi se cœlum quod nobis forte alienum
> Commovet atque aer inimicus serpere cœpit,
> Ut nebula ac nubes paulatim repit et omne
> Qua graditur conturbat et immutare coactat,
> Fit quoque ut, in nostrum cum venit denique cœlum,
> Corrumpat reddatque sui simile atque alienum (3).

(1) Epicuri Περὶ Φύσεως, lib. II, col. 2.

(2) Lucret., IV, 183 seqq. (Lachm.).

(3) Lucret., VI, 1119 seqq. In primo versu mira lectionis varietas notatur. Manuscr. *Nobis forte aelenum;* corrector oblongi *alienum;* corrector quadrati *vel venenum*, quod par-

Quam rei rationem ex Epicuro ductam esse intelligimus, quum in illis Herculanensibus laciniis legimus : Πάντα γὰρ τιθέμενα παρ' ἀλλότριον αὐτῶν συναφὲς εἶδος διέφθαρται (1). Quod jam Lucretius alias ferme iisdem verbis reddiderat :

> Nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
> Continuo hoc mors est illius quod fuit ante (2).

Dum hæc atque talia considero, in eam incido opinionem hunc fuisse Lucretii errorem quod doctrinam totam magistri in carmen suum transferendam putaverit, nedum *summa fastigia rerum*, ut ait Virgilius, et λόγων κορυφάς, quas Pindarus nuncupat (3), eligeret et sequeretur. Nempe quod ipse de se profitetur ad Epicurum loquens :

> Tuis ex, inclute, chartis,
> Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
> Omnia nos itidem depascimur aurea dicta (4),

utinam reipsa fecisset ! Quanquam apes non carpunt omnia, sed flores ad mel faciendum idoneos eligunt, et ex iis purissimum modo succum hauriunt, herbas

tim recepit Havercampus; Lambinus *alienum est.* Lachmannum sequimur.

(1) Epicuri Περὶ Φύσεως. Lib. XI, col. 13.

(2) Lucret., I, 671 (Lachm.).

(3) Pind., *Olymp.*, VII, 125. Conf. Virg., *Georg.*, II, 42 :

> Non ego cuncta meis amplecti versibus opto.

(4) Lucret., III, 10 (Lachm.).

prati ovibus et bobus relinquunt depascendas. Sic et poetæ eligendum est, cui id imprimis præcipit Flaccus, intelligens idem magister et artifex, ut quæ

> Desperat tractata nitescere posse, relinquat.

Sunt autem in philosophia, ut in omnibus rebus, quæ nitescere nequeant, quæ a poetica tractatione prorsus aliena sint, et has dicendi veneres quas postulat poesis omnino repudient. Argumento sit ea magna pars epicureæ doctrinæ quam melius Lucretius reliquisset, nedum huic obscuritati rerum, et reconditæ arti ac subtili poeticum nitorem leporemque addere incassum conaretur. Quid enim profecit importuna illa fidelitate? Locos nempe scripsit quos e præstantissimo carmine tollere velimus, quos nemo legit quin doleat tantum poetam in illis cavillationibus operam perdidisse. Quid enim aliud dicam de illis versibus in quibus probare nititur, seu a recta via, dum e supero deorsum feruntur, paulum declinare atomos :

> Quare etiam atque etiam paulum inclinare necessest
> Corpora; nec plus quam minimum, ne fingere motus
> Obliquos videamur et id res vera refutet.
> Namque hoc in promptu manifestumque esse videmus
> Pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
> Ex supero cum præcipitant, quod cernere possis :
> Sed nil omnino nulla regione viai
> Declinare quis est qui præstet cernere sese (1)?

(1) Lucret., II, 243 (Lachm.).

seu præter corpus et inane non esse tertiam naturam quæ diversa ab his per se existat :

> Præterea nil est quod possis dicere ab omni
> Corpore sejunctum secretumque esse ab inani,
> Quod quasi tertia sit numero natura reperta.
> Nam quodcumque erit, esse aliquid debebit id ipsum (1);

seu semina non infinita figurarum varietate inter se differre :

> Quod quoniam docui, pergam connectere rem quæ
> Ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum
> Finita variare figurarum ratione.
> Quod si non ita sit, rursum jam semina quædam
> Esse infinito debebunt corporis auctu.
> Namque eadem unius cujusvis in brevitate
> Corporis inter se multum variare figuræ
> Non possunt, etc. (2);

seu non sensiles esse atomos, ex iis autem insensilibus sensilia generari :

> Deinde ea, seminibus qui sensile posse creari
> Constituunt porro ex aliis sentire suetis,
> Mollia jam faciunt; nam sensus jungitur omnis
> Visceribus, nervis, venis, quæ cuncta videmus
> Mollia mortali consistere corpore creta.
> Sed tamen esto jam posse hæc æterna manere :
> Nempe tamen debent aut sensum partis habere, etc. (3).

Sed plura proferre pudor vetat et velut quædam poetæ miseratio, quem laudare in hac commentatione, non irridendum legentibus tradere institui; et has ma-

(1) Lucret., I, 430 (Lachm.).
(2) Lucret., II, 478 (Lachm.).
(3) Lucret., II, 902 (Lachm.).

culas velavissem, nedum detegerem, nisi in his utile nobis documentum præsto fuisset duas esse seu naturalis, seu moralis philosophiæ partes, quarum cum altera optime poesis conjungatur et coalescat, cum altera ne minimam quidem societatem habere possit.

VI.

Non una est enim philosophandi via, neque quum illam quæ nos vasto sinu complectitur naturam, aut proprium animum, aut humanam societatem considerat philosophus, ea semper iisdem oculis intuetur, iisdem ingenii viribus scrutatur. Nec simplex rei cujuslibet scientia, sed duobus, ut ita dicam, gradibus ad finem propositum ascendimus, scilicet ut quidquid de ea re nosci possit atque intelligi, intelligamus ac noscamus.

Sit nobis exemplo planta quædam herbarii oculis subjecta. Hic primum radicum, caulium, foliorum structuram ac dispositionem inquiret, et floris diversas partes resecabit quarum numerum ac formam notabit; mox penitiora et reconditiora scrutabitur, contextum nempe fibrarum ac cellularum (quas dicunt), quam jam nequit oculorum acies per se deprehendere nisi vitreis machinis objecta in majus augentibus adjuvetur; postremo ex quibus elementis constent singulæ partes (organa nostri nun-

cupant) scire volet, eaque diversa materiei genera artificiose separabit. In his omnibus quis poesi locus? Qui florem intactum lucidis splendentem coloribus et exquisito odore auras complentem mirabatur poeta ac versibus lætus describebat, nunc discerptum lugebit, et in vile lutum, ut ita dicam, mutatum aversabitur.

Num vero in his consistet philosophus? Nonne majora adipisci tentabit? Quin imo, quidquid hactenus fecit, quidquid didicit, vestibulum tantum scientiæ esse profitetur, et ad altiora se accingit. Nempe postquam omnia ea quæ diximus in planta vidit ac notavit, jam multa inde sequuntur quibus ad veram ascendit scientiam. Videt enim quomodo vivat, alatur, crescat hoc plantarum genus; videt amorum ac connubiorum miracula quibus similia sui gignit et in æternum propagatur; videt quem locum habeat in admirabili illa continuatione serieque rerum quibus inter se aptis colligatisque conformatur hic quem dicimus mundus. Num hæc quoque poetam fugabunt? Nonne contra admiratione et afflatu quodam divino eum accendent, quum jam non mors, sed vita oculis et cogitationi subjiciatur, non humilia et sordida, sed quidquid maximum, quidquid pulcherrimum mens humana possit contemplari?

Quæ de planta diximus, eadem de omni rerum natura dicere possimus; in qua qui singula perquirunt, non universa, et ad elementa descendunt, et viventia in partes lacerant ut separatim quæque

qualia sint inquirant, et ea quæ sensus humanos fugiunt machinis adipiscuntur, ii multa quidem discunt ac perutilia, sed poesis omnino (dum in iis commorantur) expertia; quæ versibus exponere vanum ac prope ridiculum esset, nisi si quis, memoriæ discipulorum adjuvandæ causa, res siccas carmine quoque modo condito connectat, ut qui grammaticam quondam, aut principalia linguæ græcæ vocabula, ad usum scholarum versibus docuerunt. Quæ res ne prorsus inutilis sit valde timeo. Nam qui discere volent, in ipsis doctorum hominum operibus soluta oratione scriptis doctrinam quærent, ubi remota metri necessitate liberior patet, neque ullis obscuratur ambagibus, et propriis verbis utitur; dum poëta, vel potius versificator, duris numerorum vinculis irretitus, in plerisque titubat, et orationem ultra quam satis est producit, et difficultate operis sudans infelicibus conatibus legentem defatigat.

Sed humilem hanc atque inferiorem, quanquam veram et necessariam, philosophiæ partem, altera excipit quæ universa conjunctim potius quam singula separatim contemplatur, et causas rerum et consecutiones videt, et similia comparat, disjuncta copulat, totamque naturam complectitur, cujus non elementa tantum ac formas, sed leges consequitur ac rationem. Quæ philosophia scientiam rerum non inchoat, sed perficit. Nempe hominem non jam in psychologia (quam dicunt nostrates) quærit, nec quibus mentis viribus præditus sit separatim agitat, rem perutilem, fateor, ac necessariam, in qua tamen plus

intelligendum ac discendum quam contemplandum atque admirandum; sed his initiis inducta, quid sit homo, unde veniat, quid his in terris agendum habeat, cui fato reservetur interrogat. Nec Dei notitiam subtilitatibus tantum metaphysicæ aut ontologiæ (liceat græcis nominibus uti quæ jam omnes usurpant) adipisci enititur, sed quam sit potens, quam bonus inquirit; num mundi auctor et creator sit; utrum homines amet ac curet, an contra, ut dii Epicureorum, *securum agere ævum* contentus sit, recteque Dido exclamet :

> Scilicet hic superis labor est, ea cura quietos
> Sollicitat!

Qui versus nos ad propositum reducunt, dum per se admonent eam altiorem ac nobiliorem philosophiam non jam poesi infestam atque inimicam esse, sed optime cum ea congruere ac consociari.

In quo quæstionum ac meditationum genere cum potissimum versaretur divinus ille Plato, non solum ad oratorium, sed et prope ad poeticum dicendi genus sese evexit, non tam consilio, ut opinor, quam mentis atque ingenii instinctu, et rerum magnitudine ac pulchritudine quas enarrabat. Unde a multis non minor poeta quam philosophus existimatur. Necnon Fenelo noster, philosophus ingenio prudentiaque acutissimus, de Deo sæpe ita tractat ut hymnum canere videatur.

Hæc vellem melius vidisset Lucretius, nec multa quæ apud Epicurum inveniebat nimia sedulitate in

opus suum comportasset, sed elegisset magis, ac nonnulla ut Musis indigna prætermisisset. Ac, ni fallor, in iis demum, ut poeta, erravit, in quibus Epicurus ut philosophus erraverat. Nam quid clinamine, quid simulacris absurdius, de quibus versus adeo illepidos et omnis poeticæ venustatis expertes nuper vidimus? Tum contra magnus et sublimis poeta patet, quum vera, vel saltem multam veri partem in se habentia enuntiat, ut e plerisque locis quos recitavimus ac laudavimus manifestum est. Quid enim verius ac sublimius illa omnium elementorum mutatione ac conversione quæ rerum summam continuo novat? Quid perpetuo illo naturæ motu quo ipsi rapimur, dum falsa quietis imagine decepti immobiles esse inter immobilia nobis videmur? Quid illo mortis ac vitæ duello quod terram nunquam non morientium ploratibus ac nascentium vagitibus personat? Quid autem dicam de tot aliis locis omnium memoria celebratis, de miseria hominis, de vera felicitate, de amantium doloribus, de primis hominibus artiumque inventione (1)? Nonne in iis ut pulchram poesim, sic et veram philosophiam miramur? Unde recte colligimus, si mendacio carmina semper amica fuerint, ut Fontanio nostro placuit (2), veritati eadem amiciora esse; et ad præclaram Bolæi sententiam redu-

(1) Multa ex his apud Epicurum invenerat, ut ex epistola ad Menœceum patet. Vide Diogen. Laert., X.

(2) « Le mensonge et les vers de tous temps sont amis. »
(Livre II, fable 1.)

cimur, quæ nos docet quatenus et quibus conditionibus mendacia in carminibus admitti debeant, scilicet ut veritas splendidiori luce illustretur atque illuminetur (1).

Ex his omnibus, nisi me fallit mea mens, præstandi quod promiseram copia est, et philosophici poematis, quod ad argumentum attinet, artem ac rationem circumscribere. Nam si quis eodem ingenio præditus sit quo Lucretius fuit (nam sine ingenio quis poeta esse possit?) et ad philosophiam versibus celebrandam se accingat, non eam quæ ex vanis et contortis commentis constet, sed quæ clara, vera, simplicia, de Deo, de homine, de mundo nos doceat, nonne et vitia nostri vitabit, et quidquid boni ac pulchri habuit ipse efficiet? Prior igitur regula sit ut argumentum deligat is, quisquis fuerit, qui hanc egregiam laudem adipisci volet, quod non in obscuritate rerum, in arte recondita ac multiplici versetur, sed a communi sensus consuetudine minime abhorreat; posterior, ut subtilibus in ratiunculis non delitescat, sed ex alto, ut ita dicam, res contempletur; nam volare debet poeta, non per humum repere.

Quas regulas facile esset ostendere non philosophico tantum carmini, sed toti didascalicorum generi aptas esse ac convenientes, nisi hujus commentationis terminos latius propagare nollem. Unum tamen addam, ea sola generis illius poemata vere cognitione digna esse quæ philosophiæ aliquid in se ha-

(1) Vide versus citatos pag. 24.

beant. Ac si quis mihi memoret quæ de Phænomenis Aratus scripserit, si præcipue objiciat de re rustica Virgilium carmen ipsa Æneide divinius scripsisse, Flaccum ac Bolæum nostrum de arte poetica ita poetice disseruisse ut artis exempla simul ac præcepta præbeant, in promptu erit respondere philosophantium esse ea opera non minus quam poetarum. Quid cœlum, quid sidera, nisi mundi pars splendidissima? Terram omnium rerum altricem, et labores quibus vivit humanum genus, et animantium naturas, apium, exempli gratia, quibus inesse

> Partem divinæ mentis et haustus
> Ætherios dixere,

utrum philosophus, an poeta describit? Nonne dubitationem tollunt sequentes versus, quibus Stoicorum, vel potius Pythagoreorum placita de anima mundi per omnem naturam fusa et omnium animantium animas subministrante exponit? Artes tandem poeticas nemo neget plurimum philosophiæ in se continere, quum nobilissimum humani ingenii laborem præceptis regendum instituant. Ad talia igitur se accingant poetæ; non servilibus vel puerilibus canendis divinam artem, ut ita dicam, prostituant, venationi scilicet ac piscatui; aut si libet ad humiliora descendere (ut fœdiora ac deformiora taceam in quibus tamen quidam e recentioribus exsultaverunt) *scacchorum* ludo, rei vix homine dignæ, nedum Musis.

VII.

Jam de forma ac dispositione pauca dicenda sunt, cum nulla sit dissensio. Neminem enim fugit huic præsertim operis generi rectum rerum ordinem adhibendum esse, ut quæ docentur facile intelligi possint. Non igitur ad philosophum poetam pertinent quæ epico præcepit Flaccus ut « in medias res, non secus ac notas, auditorem rapiat », sed quasi de rebus ignotis tractare, et ad eas ratione ac via legentes ducere debet, quippe qui non modo ad delectandum, sed ad docendum scribat. Ac laudandus in primis Lucretius quod carmen tanta arte divisit ut res aliæ ex aliis nexæ videantur, omnesque inter se aptæ colligatæque cohæreant ac continuentur. Nempe primum de materie, seu corpore, tractat, ex quo omnia constant, et de inani in quo moventur; post de atomis, seu elementis, quorum concursu ac compagine fiunt quæ in mundo sunt. Inde ad animam venit, partem mundi nobiliorem, quanquam et ipsa ex atomis conformata est; eamque docet et nasci et mori, unde sequitur eum stultum esse qui mortem reformidet. Ea autem anima sentit ac cogitat; ideo sensuum cogitationumque origo ac natura exponendæ sunt, et aliorum quæ ad animam pertinent, somni scilicet ac somniorum, cupiditatumque, inter quas cum appetitio venerea vehementissima sit ac

plurima mala gignat, de ea fusius tractandum erat. Jam notis partibus mundi, ad summam transit poeta, et ea rerum universitas quomodo orta sit docet, quomodo interitura; non æternum esse mundum, primo cœlum ac terram, dein animalia informata; suum ortum habuisse humanam vitam ac societatem, paulatimque inventis artibus ad eum quem vidimus statum pervenisse. Postremo quum iis homines præcipue terreantur quæ in cœlo fiunt, tempestates dico, ac fulgura, aliaque meteora quorum ratio non in promptu est, illa exponit explicatque, vel saltem explicare tentat; inter quæ pestilentia nullum esse dirius malum celeberrimo exemplo demonstrat. Earum rerum continuationem ac consequentiam quis non videat? In quibus tamen nescio an melius fuisset quæ quinto libro continentur eas ad finem reservari, quippe quæ et maximæ sint et cognitione ac contemplatione inter omnes dignissimæ. Quid enim majus homine, et præsertim humani generis societate?

Sic Virgilius cum de re rustica tractare institueret, ita materiem divisit ut ex inanimis ad animata transiret, a mutis et sensu carentibus ad ea quæ cupiunt, amant, dolent; a brutis ac ratione prorsus destitutis ad ea quibus « partem divinæ mentis et haustus ætherios » inesse dixeris. Nempe postquam de terra et aratione et instrumentis rusticis docuit quæ docenda erant, arbores adit, in quibus jam vita quædam apparet, sed confusa adhuc ac sensu carens; tunc ad rem pecuariam aggreditur, et ovium, armentorum,

equorum vitam quasi uberiorem describit, quibus jam amores doloresque sunt sui; tandem ad majora, quamvis in parvis animalibus, se accingit, et admiranda dicit

> Levium spectacula rerum,
> Magnanimosque duces, totiusque ordine gentis
> Mores, et studia, et populos, et prœlia.

Quod vellem et Lucretius in hominibus fecisset; et gentis humanæ spectaculis, multo sane admiratione dignioribus, opus suum conclusisset.

Ac ne quis putet ordinem illum ex Epicuro mutuatum esse Lucretium monent quæ jam de Herculanensibus voluminibus dixi. Namque quum triginta septem libris constitisse Epicuri Περὶ Φύσεως opus compertum sit, in undecimo de meteoris tractabatur, quæ postremum locum apud Lucretium obtinent. Quid igitur viginti sex sequentes continebant, quum omnem epicuream doctrinam Lucretius complecti videatur? Ea, opinor, quæ poeta noster in priori carminis parte exponenda censuit. Quidquam tamen in his affirmare imprudentis sit, nisi plures ejusdem operis laciniæ e papyrorum cineribus incendio in carbones versarum ita feliciter inveniantur ut evolvi ac legi possint.

Non me latet fuisse qui et Lucretii poema multo longius quondam exstitisse crediderint, conjecturis freti quas jampridem V. C. Eichstaedtius confutavit. Nempe in loco Terentii Varronis ubi de uno et viginti Lucretii libris mentio fit, jam omnes Lucilium

legunt; nec obscure ipse monet noster sexti libri initio se

> Supremæ præscripta ad candida calcis (1),

scilicet ad stadii metam, creta seu calce notatam, jam currere. Nec probabile est Varronem poetæ tanto junioris quam ipse erat carmina novisse. Quod si quædam Servius ut Lucretiana affert quæ nunc in poemate frustra requirimus, nonne fallente memoria errare potuit? Sed et intercidere potuerunt culpa librariorum nonnulli versus, quum omnes qui nunc exstant Lucretii manuscripti codices inter doctos homines constet e duobus Lugduno-Batavis exemplis ortos esse; quadratum dico et oblongum, utrumque ex eodem vetustiore exemplari descriptum.

At enim Lucretius cum docet deos in nulla mundi parte domicilium habere, sic sententiam concludit (2) :

> Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
> Dissimiles debent, tenuest si corpu' deorum (3);
> Quæ tibi posterius largo sermone probabo;

cujusmodi nihil usquam simile habemus; unde colligunt viri docti eam quoque carminis partem injuria temporis aut hominum periisse. Hoc infitiari nolim, quanquam quæ probare destinaverat forte non probavit, quum morte immatura opus imperfectum reli-

(1) Lucret., VI, 92 (Lachm.).
(2) Lucret., V, 153 seqq. (Lachm.).
(3) Sic Lachmannus scribendum suspicatur. Vulgares editiones *tenues*, *de corpore eorum*. Lambinus *pro corpore*.

querit, quod, ni fallor, multis indiciis manifestum est.

Nam postquam universi operis dispositionem laudavimus, fatendum est in singulis partibus rectum eum ordinem sæpe desiderari, sive res inter se male cohæreant, sive iterentur citra necessitatem sententiæ, similitudines, quin et longæ versuum series, quod vitium non in pessimis scriptoribus, nedum in tanto poeta, facile feras. Eas iterationes, quarum exempla plurima sunt (1), quum nollet V. C. Forbigerus, ut ipse dicit, « omnem prudentiam, omne judicium Lucretio abjudicare, » interpolatoribus, more germanico, attribuit. Fuisse enim Antoninorum, ut suspicatur vel potius hariolatur, temporibus, qui Lucretii poema recenserent ac retractarent, et persæpe suos versus invita Minerva formatos carmini insererent. Quod aliquando factum non negaverim, quum jamdiu pluribus in locis viri docti versus obelo notaverint qui a lectore philosopho margini adscripti inde in contextum poematis transierint (2). Sed nequaquam velim de omni re ita judicare ut quidquid male ordinatum, quidquid sine causa repetitum, id omne, cum Lachmanno, Lucretio aufe-

(1) Vide Lemaire, t. I, p. 83.

(2) In longissimo hujus generis loco (III, 806-829) ubi quæ de mundo alias dicuntur (V, 351 seqq.) ad animum mentemque humanam referuntur, nemo non insulsam translationem nescio cujus ardelionis arguit; sed Lachmannus in postremis versibus manum Marulli agnoscere se affirmat. Vide Commentarium, p. 185.

ram, infelicem alterius laborem incusem. Nempe in quibusdam ipsum poetam deprehendere mihi videor, tentabunda manu locum egregium nunc huc, nunc illuc transferentem, quærentem ubi melius se habeant nonnulli versus, expendentem quid in diversis partibus valeant atque efficiant. Quod non dubitandum est quin optime vidisset atque elegisset vir tanti ingenii, nisi supremam manum operi admovere mors prohibuisset.

Cujus rei unum afferam exemplum, in quo, ni fallor, mirum in modum, quanquam diversa ratione, erraverunt clari viri. Nemo est quin memoria præstantissimos illos versus teneat quibus poeta se « avia Pieridum peragrare loca » dicit, sibi insignem coronam pollicetur

Unde prius nulli velarint tempora Musæ,

causamque aperit cur *Musæo melle* res paulo tristiores, et a quibus vulgus abhorreat, contingere instituerit; hunc autem locum bis legi omnes sciunt, in media dico primi libri parte, mox in quarti exordio (1), nisi quod prius cum præcedentibus continuatur, posterius vero per se stat. Inde uterque communi voce interpolatorem arguere. At vide judicii varietatem. Forbigerus posteriorem locum solum genuinum esse arbitratur, priorem ad hujus imitationem fabricatum, « absonum autem et inconcinnum ». Lachmannus contra; nam quum jure

(1) Lucret., I, 926 seqq. — IV, 1 seqq. (Lachm.).

contenderit hos versus, ut a Macrobio in primo libro, ita a Nonio in quarto lectos fuisse, eamque iterationem, si poetæ adscribenda sit, pauperis ingenii ac nullius judicii fuisse, quorum neutrum in Lucretium cadit, inde colligit poematis editorem, quum nullum libro quarto prooemium a Lucretio scriptum haberet, locum præstantissimum e primo libro in hunc usum repetiisse. Quod, docti viri pace dixerim, *credat Judæus Apella, non ego*. Nam unde isti editori ea venire potuerit audacia ut pro sua libidine tanta commutaret, ea stultitia, ut quæ emendare vellet absurda vitiaret repetitione? Hoc profecto non in Poliniaco suo fecisset Rothelinus, qui amici sparsas ac confusas schedas in hunc quem habemus ordinem disposuit; nedum credam in Lucretio fecisse Ciceronem, Quintum dico, non Marcum, nam sic Hieronymi testimonium prius interpretatus est Lachmannus, quem plures inde secuti sunt (1), sed in studiis poeticis, non minus quam frater erat, versatissimum.

Cur autem in re tam facili adeo laborat vir sagacissimus ac doctissimus? Cum ipse fateatur eos versus ab utroque loco non alienos esse, Lucretium autem opus suum non absolvisse, qui fit ut non videat quod in oculos, ut ita dicam, incurrit, scilicet poetam ipsum quum pulcherrimos versus in primo libro scripsisset, et postea prooemium libro quarto

(1) Vide elegantem commentationem Rudolphi Bouterwek, *Lucretianæ quæstiones grammaticæ et criticæ*. Halis Saxonum, 1861, p. 3.

pro suo more quæreret, vidisse jam opus factum si e priore loco mutuaretur? Non tamen prius scripta delevit, incertus, ut opinor, utrum utro loco melius esset; tum subiit seu furor ille de quo Hieronymus loquitur, seu desperatio (qualicumque e causa orta sit) quæ miserum ad id impulit ut sua manu mortem sibi conscisceret. Invenerunt amici in schedis duos locos, et nobis quales erant servaverunt; quod pro meo judicio recte ac probe fecerunt, nedum suam, non Lucretii mentem, cum posteris communicarent.

Admonet vero nos illud quarti libri procemium ut de ceteris loquamur. Jam de primo pauca diximus (1), cujus exemplum apud Parmenidem invenerat noster; nec non Empedocles unumquemque τῶν Φυσικῶν librum splendido exordio videtur exornavisse, nam nobilem eam ad Calliopeam invocationem quam servavit Origenes (2) librum tertium aperuisse crediderim. Quos feliciter secutus noster sex illis præstantissimis procemiis opus suum exornavit, quorum bona pars in laude magistri Epicuri prædicanda versatur; exemplumque ipse fuit Virgilio, qui singulas Georgicorum partes numinum agrestium, et Augusti, et Mæcenatis invocatione orditur, tertio autem libro, ut nuper Lucretium quarto vidimus, de se, de sua gloria, de via quam tentandam sibi proposuit ita loquitur, ut neminem lateat imitatio.

(1) Vide p. 14 seqq.
(2) Empedocles apud Mullach., 383-386.

Neque his solis ornamentis noster tristitiam materiæ quam elegerat exhilarare ac legentes delectare studuit, sed et illis similitudinibus, descriptionibus, ἐπεισοδίοις quæ jam laudavimus. Ea nempe consulto consilio ita certis locis disponit ut nunquam longius sit per argumenta sicca atque difficilia iter ad ea, ut ita dicam, diverticula. Quam artem non minori studio ac felicitate Virgilius imitatus est, quippe qui Atheniensium pestilentiam armentorum ac gregum autumnali morbo, ut in palæstra, æmulatus esse videatur.

Sed dum in multis Lucretium imitaretur Maro, luculento exemplo edoctus multa quoque vitavit a poesi prorsus aliena, quæ scholarum doctrinam nimio plus redolebant. Nam quum toto animo in id incumbat noster ut Memmium suum doceat, persæpe more magistrorum discipulum appellat, ut attentum, docilem ac memorem faciat :

Dicam, tu percipe dicta.
Tu fac ne ventis verba profundam.
Principio hoc dico. . . . .
Quod si aliquis forte credit. . . . .
Quod quoniam vinco fieri, nunc esse probabo.
Illud in his rebus quoque te cognoscere avemus. . . .
Illud in his observatum quoque rebus habere
Convenit et memori mandatum mente tenere (1).

Quæ ut in ludo apta ac convenientia, ita in carmine, licet Hesiodeis exemplis forsan defendi possint, tædii plena atque inimica voluptati esse affirmaverim.

(1) Lucret., IV, 880, 931, 724; II, 225, 748, 216, 581; ac multis aliis in locis.

In his vero ut in aliis non obliviscendum est Lucretium artem didascalici poematis apud Romanos inchoavisse, Virgilium perfecisse.

VIII.

Nunc ut prænuntiatum opus perficiam, de dicendi genere quo usus est Lucretius dicendum. In quo tamen nemo a me exspectabit, quicumque titulum hujus libelli meminerit, ut quidquid de ea re quæri possit fusius ac singillatim pertractem. Non enim de latinæ linguæ aut versificationis historia, sed tantum de philosophico poemate dissero. Non igitur expendam, nisi in transitu, qualem ab Ennio sermonem patrium acceperit noster, quibus inventis ipse ditaverit, quem locum in his latinæ seu poesis, seu linguæ, gradibus ac processibus obtineat; ad id totum me confero quod mei argumenti est, quomodo latina poesis a Lucretio philosophorum doctrinas exprimere didicerit, quatenus in ea re perdifficili quidem ac periculi plena profecerit.

Primus enim Lucretius, ut de se bis jure ac merito jactavit, longum poema de philosophia apud Romanos condidit. Quanquam jam multi, ut diximus, in operibus alius generis multa versibus protulerant quæ ad philosophiam pertinerent. Nempe Ennius non *Epicharmum* modo scripserat, sed et Evhemeri de diis librum latine verterat; et in tragœdiis sæpe per-

sonarum ore sententias eas pronuntiaverat quas a philosopho loquente audire possimus (1). Quem secutus Pacuvius multa de fortuna et casu in fabula incerti nominis disserebat, quæ « infirmæ rationis » insimulat Tullius (2); et in *Chryse* physicum inducebat satis luculente, eodem teste Tullio (3), ea dicentem quæ Lucretium expressisse crediderim :

Quidquid est hoc, omnia animat, format, alit, auget, creat,
Sepelit recipitque in se omnia, omniumque idem est pater.

Nam quæ hic de mundo, eadem sæpius in Lucretio de terra matre dicta legimus, quæ

Dubio procul esse videtur
Omniparens eadem rerum commune sepulchrum (4);

nisi forte uterque Xenophaneum illud imitatus sit :

Ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ (5),

quod jam Æschylum in Choephoris fere constat mutuatum esse (6). Et quo minus dubitemus quin philosophorum sententiæ non modo doctos et eruditos Romanos sed et plebeculam valde delectaverint, ipsi comœdi multa de genere hoc fabulis vel ad risum aptissimis immiscebant.

Est profecto Deus, qui quæ nos gerimus auditque et videt,

(1) Vide exemplum rei, pag. 13.
(2) Cic., *ad Herenn.*, II, 23.
(3) Cic., *de Divinat.*, I, 57.
(4) Lucret., V, 258 (Lachm.).
(5) Xenophan., apud Mullach. fragm. 8.
(6) Æschyl., Choeph., 125, 126.

exclamat in *Captivis* Tyndarus (1), contrarias Enniano Telamoni partes agens. Nihil mirum igitur si in Satiris Lucilium tam sæpe philosophantem videmus, præclare de virtute, lepide de iis qui fabulis poetarum plus nimio credulos se præbent loquentem,

Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere et esse homines, sic isti omnia ficta
Vera putant, credunt signis cor inesse ahenis (2).

Quos versus, si unam aut alteram rubiginis maculam effrices, jam pro Lucretianis nemo non accipiat.

Sed aliud est brevem sententiam tribus aut quatuor versibus scribere, aliud longo carmine doctrinam totam certa ratione ac via exponere. Cujus propositi difficultas ne nos lateat ipse admonet poeta :

Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
Difficile inlustrare Latinis versibus esse,
Multa novis verbis præsertim cum sit agendum
Propter egestatem linguæ et rerum novitatem (3).

Mox eadem queretur Tullius, quanquam prosa oratione, non poesis vinculis illigatus scribat, et persæpe nimia æmulatione gloriæ latinam linguam non modo non inopem esse contendat, sed græca etiam locupletiorem (4).

(1) Plaut., *Capt.*, 247.

(2) Lactant., *Divin. Instit.*, I, 22. Nonius, verb. *infans.* Hunc locum admirabatur ac sibi vertendum proponebat desiderandus noster André Chenier (vid. édit. Charpentier, 1852, pag. 198.)

(3) Lucret., I, 136 (Lachm.).

(4) Cic., *de Finib.*, I, 3; III, 2; *de Nat. D.*, I, 4. At contra

Non igitur mirandum est si græco verbo semel, ut sæpissime Tullius, usus est noster, quum Anaxagoræ ὁμοιομέρειαν sua ei lingua dicere non concederet « patrii sermonis egestas. » Quod tamen vellem in carmine non fecisset; quin et omnia illa Græcorum commenta, non tantum poeticis ornamentis, sed et pæne cognitione indigna, plane reliquisset. Sic *clinamen* primus et unus, ni fallor, « novum rei nomen » protulit, ut τὴν κλίσιν Epicuri latine redderet, quam haud scio an melius Tullius *declinationem*.

Alia autem verba non linguæ egestate, sed numerorum necessitate primus et unus videtur immutavisse, *sensile* pro sensibili, *tactile* pro tangibili, *principiale* pro principali; sic *insensile* et *intactile*. At sequentes poetæ verba simul cum rebus spreverunt. Nec felicior fuit ille *sensifer* motus cujus sine dubio auctor habendus est.

Hoc enim crediderim Lucretium non vidisse latinam linguam non eam esse quæ verba nova, græcorum more, libenter fingeret, voces notas consociando ac connectendo. In quo genere audacius quam felicius sibi indulsit, quum elephantos *anguimanos* (1), motus rerum *auctificos*, terras *frugiferentes*, fetus *frugiparos*, *terriloqua* vatum dicta, homines *cæcigenos* diceret. Nonnulla tamen non dedignati sunt posteri. *Montivagas* feras dixerat noster (I, 404); Tullius « bestiarum montivagos atque silvestres cur-

de egestate linguæ latinæ, *Tuscul.*, II, 15; *de Finib.*, III, 15. « Nobis in hac inopi lingua.... »

(1) Lucret., II, 528; V, 1303. (Lachm. *anguimanus*).

sus (1), » Statius « Montivagam Dianam (2) »; *turicremas aras* negligere nullo pacto potuit, qui aurum e stercore Ennii colligebat Virgilius (3). Vellem et *fluctifragum* littus (I, 305); *innubilum* aera (III, 21); *lauricomos* montes (VI, 152); canum *levisomna* corda (V, 864); *suavidicos* versus (IV, 180); *silvifraga* venti flabra (I, 277) non contempsisset, digna, ni fallor, quæ non repudiaret qui in tam multis aliis hereditatem Lucretii adiit atque usurpavit.

Sed de his hactenus, quæ fortasse grammaticæ commentationi fuissent reservanda. Neque de arte et compositione versuum disseram, in quibus quum persæpe Ennio et Lucilio longe doctior ac peritior appareat noster, tamen, sive elisiones spectes, sive cæsuras, sive versuum sectionem et rejecta (quæ dicunt) verba, multa ad severiorem elegantiæ regulam Virgilius conformavit. Pauca autem addam de verbis translatis atque immutatis, quæ non modo orationem quasi stellæ quædam, ut ait Tullius, illustrant, sed præcipue poesim, cujus eam propriam esse laudem dixerim ut res omnes non corporis tantum, sed mentis oculis videat.

Hac ante omnes vi imaginandi excelluit Lucretius. Seu humanum genus describat oppressum

Gravi sub religione
Quæ caput a cœli regionibus ostendebat,
Horribili super adspectu mortalibus instans (4);

(1) Cic., *Tuscul.*, V, 27.
(2) Stat., *Achill.*, I, 450.
(3) Lucret., II, 353. Virg., *Æn.*, IV, 453.
(4) Lucret., I, 63 (Lachm.).

seu januam lethi

> Quæ patet immani et vasto respectat hiatu (1);

seu miseros Athenienses quos

> Confertos ita acervatim mors accumulabat (2);

quis magno, imo maximo poetæ non acclamet, quippe qui res ita nobis præsentes efficiat ut formidine ac terrore legentes quasi horreamus? At non tristia tantum ac terribilia nobis ostendit; nam qui « lætas urbes pueris florere » depingit,

> Frondiferasque novis avibus canere undique silvas (3);

et pastores non magnis opibus corpora curantes

> In gramine molli
> Propter aquæ rivum sub ramis arboris altæ,
> Præsertim cum tempestas arridet, et anni
> Tempora conspergunt viridantes floribus herbas (4);

nec non et cœli pulchritudinem

> Magni cœlestia mundi
> Templa, super stellisque micantibus æthera fixum (5);

eum omnia vidisse, omnia intellexisse quæ poetæ et philosopho videnda atque intelligenda sunt quis neget? Philosopho dico, neque enim vere est ille philosophus qui in ratiunculis et cavillationibus

(1) Lucret., V, 375 (Lachm.).
(2) Lucret., VI, 1263 (Lachm.).
(3) Lucret., I, 255 (Lachm.).
(4) Lucret., II, 29 seq. (Lachm.).
(5) Lucret., V, 1204 (Lachm.).

tempus terit, sed qui mente atque animo omnia quæ vera sunt complectitur, et quæ amanda sunt amat, et quæ admiranda admiratur.

Ea nempe rerum intelligentia quas non videt terrenorum oculorum acies Lucretium, Virgilium omnesque veros poetas ad id duxit ut sensus atque affectus humanos persæpe vel in inanimis effingerent. Qui enim cum non animalia tantum amantia, timentia, dolentia ostendunt, sed vel arboribus ac plantis quidquid ipsi sentimus, ut ita dicam, commodant, quid aliud quam percipiunt atque exprimunt eam communem omnium rerum vitam quæ per singula immensi corporis membra commeat? Quod non orationis artificio fingit atque mentitur poeta, sed plerumque inscius et invitus, proprio mentis instinctu, ac divino illo velut afflatu, sine quo neminem virum magnum esse ac præcipue poetam bonum neminem affirmat Tullius (1).

Inde omnia, quasi spirantia ac viventia, amat poeta, ut Deus ipse amat quæ creavit ac sustinet. Quam omnium rerum fraternam, ut ita dicam, caritatem in Virgilio omnes mirati sunt; ea est enim præstantissimi poetæ quasi propria laus, qua nostrum amorem ipse non minus quam admirationem rapit. Sed eam in Lucretio multi non agnoverunt, injuria, ni me fallat opinio. Non enim Memmiadem modo suum *suavi amicitia* colit, sed et *mortales ægros* amat quorum terrores atque cupiditates commiseratur vel

(1) Cic., *de Nat. Deor.*, II, 66. *De Orat.*, II, 46.

quum irridet. Ob id enim Epicurum laudat, quod quum miseros videret,

> Veridicis igitur purgavit pectora dictis,
> Et finem statuit cuppedinis atque timoris,
> Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes,
> Quid foret, atque viam monstravit, tramite parvo,
> Qua possemus ad id recto contendere cursu (1);

et deum nominat qui

> Fluctibus e tantis vitam tantisque periclis
> In tam tranquillo et tam clara luce locavit (2);
> . . . .
> Quo magis hic merito nobis deus esse videtur,
> Ex quo nunc etiam per magnas dedita gentes
> Dulcia permulcent animos solatia vitæ (3).

Ideo religionem detestatur quod « tantum potuit suadere malorum. » At non Iphianassæ modo miseretur patris jussu trucidatæ; sed animalium doloribus tangitur, et vitulum ante aras mactatum dolet, et miseræ matris lacrimosam imaginem eodem animi sensu exprimit quo Virgilius, qui hunc locum sine dubio imitatus est. Quin etiam quum terram matrem nobis ostendit quæ

> Tuto res teneras effert in luminis oras (4),

aut quærit quid primum mollia arva

(1) Lucret., VI, 24 (Lachm.).
(2) Lucret., V, 11 (Lachm.).
(3) Lucret., V, 19 (Lachm.).
(4) Lucret., I, 179 (Lachm.).

In luminis oras
Tollere, et incertis crerint committere ventis (1),

nonne eam curam agnoscimus qua Virgilius nascentes plantas, ut ita dicam, complectitur ac fovet? Quippe qui et rem et verba in Georgicis suis amplificando receperit nobilissimis illis versibus :

Inque novos soles audent se germina tuto
Credere; nec metuit surgentes pampinus austros,
Aut actum cœlo magnis aquilonibus imbrem (2).

Ea sunt igitur quæ Racinius noster, ut jam diximus, ficta verba nuncupabat, et in quibus affirmabat veram esse laudem didascalici poetæ. In quo erravisse nobis videtur quod ea voluptatis tantum causa et solerti industria fieri putabat, nos natura ipsa magistra, qua poetæ quod animo sentiunt verbis efferunt. Quod si pectus et vis mentis, ut dicit Quintilianus, disertos faciunt, sic e mollitie ac lenitate animi, « et lacrimis rerum, » et ea mente quam « tangunt mortalia » exundat atque exuberat poesis, non solum apud dulcem illum Virgilium, quem Parthenian, teste Servio, vocabant amici, sed et apud Lucretium, etsi hic animi virilioris sit, et mæsto atque acerbo dolore lacrimas (ne uberius profundat, credo) cohibere ac combibere videatur.

(1) Lucret., V, 781. Sic Lachm.; Lambinus : *tentavit credere ventis.*

(2) Virgil., *Georg.*, II, 332.

IX.

Didicimus, exempla præbente ac velut docente Lucretio, poesim adeo non a philosophia, ut multi voluerunt, abhorrere, ut contra inter se optime congruant, dummodo ea sit philosophia quæ non in obscuritate ac velut in pulvisculo rerum recondita se contineat, neque in imis, ut ita dicam, naturæ visceribus delitescat, sed divina humanaque, ut sunt, contempletur, res non cognitione tantum, sed admiratione et amore dignissimas.

Quæ profecto ut non omnis ac sola philosophia sit, partem tamen esse philosophiæ nemo non fatebitur, nobilissimam sane ac pretiosissimam, e ceteris, ut florem et fructum e radicibus, enascentem, et ab inferioribus ad sublimiora tendentem. Ad quam, ut opinor, non docti tantum homines, longiore et exquisitiore studiorum apparatu perpoliti admittendi sunt; nam melioris ævi beneficio non jam ii sumus qui angustum tantum sapientium circulum agnoscamus, ceteros omnes, ut stultos homunculos (idiotas apud Græcos dicebant fastidiosi quidam philosophi) omni disciplinæ ac doctrinæ fructu indignos arbitremur, etsi secretiores naturæ partes accedere, seu fortunæ, seu frigidioris sanguinis vitio (ut poetæ verbis utar) nequaquam aut potuerint aut voluerint. Sunt enim multi circa nos laboribus et curis impliciti qui-

bus ad longiora studia otium deficiat; sunt feminæ, sorores uxoresque, animæ nostræ pars multo melior, quas ut non Hypatias esse, neutiquam tamen earum rerum omnino rudes velimus de quibus persæpe inter amicos nostri laris hospites mentio fit, præsertim quum doctrinarum earum is fructus, ea vis sit ut prudentiores, meliores, feliciores, quisquis eis imbuatur, faciant. Est et immensa illa multitudo, pauperum dico ac laborantium, e qua velut vasto e gurgite pauci admodum emergimus, quibus parentum optimorum et Dei omnipotentis beneficio contigit ut studio ac disciplinæ vacaremus. Num illi tamen his animi opibus atque alimentis omnino carebunt? At contra ea philosophiæ, ut religionis, præcipua laus est ut cum multis communicetur, et continuo plures sua luce, ut sol radiis, illustret ac compleat.

Ad eos tamen animos, quos dixi, doctrina erudiendos, præceptis informandos, erroribus ac vitiis purgandos, quid ipsa poesi aptius ant potentius esse possit, quum delectatione indoctum pariter ac doctum deleniat, et suavitate capiat, interdum rapiat admiratione? Non quod me lateat quid possint aut efficiant sacræ orationes de docenda, explicanda, suadenda religione quotidie in templis habitæ, quas tamen non omnes audire satis possunt, multi his temporibus pluribus de causis fastidiunt et aspernantur. Nec magis ignoro quam præstantia, utilia, jucunda, sæpe philosophia pedestribus sermonibus, elegantissimis tamen, docuerit; novi libellos *de fa-*

milia, de beata vita, quos ne hic ut persæpe alias laudem ac prædicem prohibet verecundia, quanquam in omnium manibus esse velim, quippe qui ad id aptissimi sint qui ad bonos sensus, ad concordiam, ad moderationem, ad sapientiam, seu cogitandi veritate, seu dicendi suavitate legentium animos impellant. Sed tamen habet in se poesis nescio quid quo in mentes facilius insinuet, et altius penetret, et stabilius inhærescat (1), et ex aliis ad alios communicando transeat, ac velut ipse dixit poeta, « volitet per ora virum. »

Quam si vim potentissimæ ejusdem ac dulcissimæ artis ad vera et utilia enuntianda, falsa funestaque refellenda poetæ convertant, quis dubitat quin optime, ut de humano genere, sic et de suo nomine mereantur? Cui si consulere velint, ea nempe certissima ad laudem via; quam tamen nonnulli his temporibus feliciter ingressi nescio cur deseruerint, magno, ni fallor, gloriæ suæ detrimento. Nam quum nostrates laboribus ac necessitatibus districti nil jam otiosum admittant, et gliscat in dies earum rerum cura quæ utilia sint, inde fit, opinor, ut pleraque poesis genera, ab hac nostra vita prorsus aliena, languescere aut obsolescere videantur, Mu-

(1) Quamobrem ad informandos bonis moribus pueros multi sæpe præcepta versibus docuerunt, ut apud nostros homines XVI seculo Pibracus, nostris fere temporibus Morel de Vindé, cujus *Tetrasticha* elegantissimis elegis e nostrate lingua in latinam vertere non dedignatus est Vir Clarissimus Jos.-Vict. Le Clerc. *De Officiis ad pueros tetrasticha*, Lutetiæ Parisiorum, M.DCCC.XVI.

sæque surdis atque aliud agentibus canant, nisi si quæ juvenes ad luxum ac voluptatem jam per se proniores indigno corrumpant lenocinio. Exoriatur autem aliquis qui utile dulci queat miscere, qui pulchris atque in memoria hominum victuris versibus verum aliquid canat et grande, de Deo, de officiis, de miris illis naturæ arcanis quæ dies et longioris ævi diligentia nobis aperuit; non continuo ac producto poemate ut Lucretius (ne nimia postulem), at saltem eo carmine quod mentem capiat, et in pectus descendat, et aures delectatione occupet; Diiboni, qui plausus eum accipient! Quod si adeo felici dicendi genere utatur ut non a doctis solum hominibus, sed ab omnibus facile possit libellus intelligi, et feminas ac juvenes dulcedine alliciat, et in artificum officinis recitetur, eique hominum turbæ prosit quos Seneca non servos, sed humiles amicos, Christus autem fratres appellari voluit, nonne ut maximum beneficium, maxima quoque sit gloria? Ad quam ego, quisquis poesis studiosus ac peritus hanc commentationem leget, eum Lucretii exemplo invitare velim, et quantulum in me virium est, vocare audeam.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, id. septembr. ann. MDCCCLXIV,

Facultatis Litterarum Parisiensis decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :
Pro Rectore Academiæ Parisiensis,
Inspector Academiæ,

C. CABOCHE